



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesu Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitutum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

## AD LECTOREM.

**S**I ex Nostris es, ô Lector, & amicis, PROPVGNACVLVM habes, quo te contra hostium furorem tuearis: si vero hostis es, non impunè lacesces: ex hoc enim PROPVGNACVLO, siue TVRRI mille clypei pendent, & omnis armatura Vrorum plane fortium, qui in nostræ SOCIETATIS tutelam se offerentes, victoriam nobis spondent, & tibi infamiam. PROPVGNACVLI autem huius construendi occasionem præbuit multiplex hostis in hac ipsa PARAQVARIA in nostram ruinam nuper coniuratus, quo debellato, profligatoque non ægre tuli machinam istam portatilem, quaqua terrarum circumferri, ut nostra SOCIETAS contra hostes suos, qui nullibi desunt, vbique se defendat. In lucem prodit armata non proprijs, sed alienis Laudibus hæc sacra Pallas, propria quippe Laus deuenustat gloriam, quæ suspecta redditur à proprio testimonio: Pro. 27.2.  
*Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua,* me docuit Salomon: & hæc erit non inconcinna huius Opellæ excusatio. Quare hic dicere valebit SOCIETAS, quod de se Plinius secundus tam breuiter quàm acute scripsit: *Neque enim vereor, ne iactantior videar, cum de me aliorum iudicia, non lib. 9.* Plin. 2. Epist. 23.  
meum profero. Igitur Pontifices, Cardinales, Antistites, Cæsares, Reges, Regna integra, Senatus amplissimi, Prouinciæ, Religiosi, Ciues, Magistratus, Vniuersus denique Orbis Christianus ad hoc extrendum PROPVGNACVLUM materiam præbuere, ut communibus viribus defenderetur Ea, quæ omnium

c

bono

## AD LECTOREM.

bono nata ECCLESIA BRACHIVM DEXTRVM appellari  
meruit. Dum vbique terrarum IESV Societas præ-  
liatur bella Domini , & dum pro incolumitate Ec-  
clesiæ naufragia, carceres, vincula, mortes, calum-  
nias contemnens infinitis se obijcit periculis , vicis-  
sim à Sacro , Prophanoque ordine quasi DVOBVS  
BRACHIS potentius quàm arcu æreo defensa hacte-  
nus, vegeta & inconcussa permanxit , adeo ut exclamare possit cum Regio fidicine : *Deus qui doces ma-*  
*nus meas ad prelium , & posuisti ut arcum æreum*  
*BRACHIA mea.* Et vt sperandum est ijsdem auspicijs  
frendente licet Dæmone, liuente inuidia, fremente  
Hæresi, plaudente Cælo , triumphante veritate , &  
totius Orbis bono gloriosum exerens caput in inte-  
gritate perdurabit.

SOCIETAS Hæc (mi Lector) totum est huius Opus-  
culi argumentum, & sane magnum. Illa enim mi-  
litare Trophæum est erectum animo maior , quàm  
viribus : virtutis antiquæ monumentum , & inci-  
tamentum posteræ : Dæmonum Victrix , Hæresum  
Domitrix , Virtutis Propagatrix : Sacra Pallas est,  
docta & armata : Oliuam Pacis , & Belli Ægidem  
gestans. Non ex cerebro Iouis , sed Deo vero , &  
Virgine nata ; nec mireris (Lector) si de Nomine  
IESV vocitetur. Ideo maxima, quia semper se dixit  
esse Minimam : eò integrior, quia plura membra si-  
bi rescidit : vulnerata sape , sed nunquam læsa : ideo  
semper sana, quia se putauit infirmam : ideo vege-  
ta , quia saepius renouata, Honorum titulis plena,  
cum omnes , ex voto respuerit : omnes Dignitatum  
titulos

## AD LECTOREM.

titulos mereri malens, quam vnum admittere: nobilis aestimans purpuram dare, quam accipere: tot enim ferme Martyres habet, quot Annus dies. Iesv SOCIETAS verè lincea, quia obediendo cæca est: ideo Humilis, quia gloriæ maioris appetens: eò doctior quò doctrinam liberalius prodigit. Plures Libros scripsit, quam in Mensum decade horæ sint: Hæreticorum terror, quia amica veritatis: Barbarorum amor, quia Magistra humanitatis: Dæmonum odium, quia Prædatrix animarum. Hæc est Sacra Pallas cuius ope, non ut post decennium Troia, sed post decies decennium victus Orbis conflagravit. Alexander felicior, quod alterum inuenerit, & vicerit Orben. Sub vexillis Christi frende, fure, disrupto zoile (si quis es) Parisiacam Columnam extruere potuisti, hanc nequibus destruere: nulla enim manus euertit quod DIGITO DEI firmatum est. En Paul. 3: breui penicillo descripta Iesv Societas, vnicum, ut dixi, Opellæ huius argumentum; quam grande, quam excelsum gloriosumque, has paginas euoluenti patebit.

Porro, quemadmodum, non tantum ad defensionem, sed etiam ad Vrbium ornamentum Propugnacula construuntur, iuxta illud Canticorum de Ecclesia, *Si Murus est, adificemus super eam Propugnacula argentea*, sic dubium est, vtrum PROPUGNACULVM nostrum plus firmitatis, quam ornamenti à suis constructoribus acceperit: atque ea causa est, hoc Opus PROPUGNACULI nomine vocitari; vt pote tot præstantissimorum virorum ELOGIIS, non magis

Cant. 8. 9.  
Cornel. ibi.

c 2

defen-

AD LECTOREM.

defensam, quam Ornatum se SOCIETAS nostra cognoscat; & ex tantis Ornamentis discat non degenerare ab antiquis virtutibus. Sed Deo bene iuuante id neutiquam fiet, nam in nobis adhuc spes durat Auctorum. Maiorum nostrorum gloria erit virtutis incitamentum nostrae, & tot Religionis ELOGIA ingens calcar addent ad nouam gloriam: præteritorum fascinorum contemplatione feruebit in Ignatij postoris sanguis, nec deerunt qui gloriofa pericula ambient, & qui adhuc volent grandia signare vestigia, atque ijsdem, quibus antecessores sui, heroicarum virtutum gradibus totum Orbem peragrare: & cum statim in huius Operis limine BRACHIVM ECCLESIAE SOCIETAS dici viderit, exeret iterum *Brachium suum cum potentia* in Ecclesiæ defensionem, Hæresis perniciem, ignorantiae fugam, & vitiorum extirpationem.

Psal. 88.  
14. Sed quænamista (inquies, & bene Lector) in commendanda SOCIETATIS gloria tam insolens ostentatio, atque exaggerata laus? An sola illa sancta, fortis, admiranda, virtutibus prædita, exculta doctrinis, plena tropheis, constans in vita, & in morte secura est? Non equidem: agnosco, & veneror Religiosissimorum Ordinum Maiorum Nostrorum (quorum nos vestigijs gaudemus insistere) consummatam in omni genere laudis existimationem, atque præstantiam, siquidem omnes ea nobis edidere exempla recte factorum, quæ etiam nunc haud oblita posteritas excipit. Quid SOCIETATEM Ego comparem tam præclaris Ordinibus? absit. Sed si faciam omnium

## AD LECTOREM.

nium illam MINIMAM esse dicam cum IGNATIO Fun-  
datore Sanctissimo, MINIMAM, inquam ætate, me-  
ritis, splendore. Nec odiosa, mi<sup>l</sup>ector, videbitur  
Conſa.  
proæm. §. 1.  
Reg. 1.  
ſumma.  
Oratio mea in eius laudes excurrens, quando illæ  
(vt supra cum Plinio notabam) non ex meo de-  
prompta ſenu, ſed scriptis, verbisque testatæ eo-  
rum hominum, qui ſunt Vrbis, & Orbis prima capi-  
ta. Dico ergo non quod Ego de SOCIETATE ſentio,  
ſed quod illi. Et quidem obscurari tam præclara tan-  
ti Ordinis merita, diſſimulari tam iusta eius præco-  
nia, & moleſte ferent ij ipſi qui ediderunt, neque  
qui amant, imo qui oderint, patientur: virtutis enim  
oſtenſa pulchritudo vel in hōſte delectat.

Attexo etiam nonnulla, in quæ incidi testimo-  
nia, & plura numero Religiosorum hominum, quo-  
rum non exemplis minus, quam verbis ad virtutem  
inflammata SOCIETAS, patrocinio niti gaudet, & au-  
toritate defendi: accepta illis admodum SOCI-  
ETAS tanquam ſoror Minima à Maioribus Fratribus.  
Nec maior SOCIETATIS gloria quod à Principibus  
viris, etiam Cælitibus commendetur; commenda-  
tio illa maior, & certior quæ ab hōſte deducitur.  
Leges etiam in hoc SOCIETATIS PROPVGNACVLO quid  
hōſtes verae Religionis quandoque de illa ſenserint,  
quam magnis laudibus Eam extollant. Verum quæ  
laus ab Hæreticis ſperanda? quibus iuratum pro-  
bris, & maledictis incessere IESVITAS, eosque ſi poſ-  
ſent, funditus euertere. Sed maior hæc noſtra laus  
eft, huncque honorem maximum ducimus, non tam  
à laudatis viris, quam vel ab ipſo hōſte laudari.

c 3

Neque

A D L E C T O R E M.

Neque enim ab illis ostentationis testimonia quærimus, sed necessitatis, quantum scilicet satis est ad Ordinis famam, qua præcipue pendet quæstus animalium. Quare nemo sapiens Lector hanc scriptiōnem, fastum nostrum, superbiamque interpretabitur, sed alienæ salutis studium.

Tripartitum hoc Opus est. Pars Prima, siue Status Ecclesiasticus ELOGIA continet à Summis Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis alijsque Religiosis viris in SOCIETATIS honorem prolata. Pars Secunda, siue Status sacerdotalis Encomia illa complectitur, quæ Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque ex omni Ordine Virorum illustrium pietas, & in SOCIETATEM amor effudit. Et quia non humanis solum laudibus SOCIETAS nostra ditescit, ideo Tertiam adiecimus Partem, quam Cælestem, & Inferam placuit appellari. Hæc in se carcerat ELOGIA, quibus Christus Dominus, Magna Mater, Angeli, ac Cælites SOCIETATIS Cælum velut syderibus illustrarunt. Imo nec hinc exulant Dæmonis testimonia, vt vel ab Inferijs tenebris SOCIETAS nostra lucem mutuetur. Harum Partium quamlibet in varios Titulos siue Classes partimur, vt facile patebit intenti.

Ex his omnibus totum hoc PROPVGNACVLVM construitur; & verè PROPVGNACVLUM tot Encomistarum, ac tam præclaris elaboratum Encomijs, adeo, vt in posterum SOCIETATIS Filijs non erit in tantæ Matris tutamen pluribus Libris, seu testibus opus, vbi uno isto volume res tota transigitur : Ex quo

## AD LECTOREM.

quo etiam veluti ex amoenissimo, frugiferoque Viridario Hortoq; poterunt liberaliter vernantes sententiarum flosculos decerpere Concionatores solidos sapientię fructus Magistri: multiplicis eruditionis pom-pam quasi luxurians foliorum agmen Historici: proficuas exemplorum fruges Ascetici: admirabilium euentuum miriades curiosi rerum, ac temporum indagatores; Catholicæ veræ fidei semina, quæ colligant ad tutelam, & auitæ pietatis poma, quæ carpant ad gustum: Hæretici suorum dogmatum, adeoque reprobatorum spinas, quibus excitentur, ut videant, & resipiscant. Hæc de utilitate Operis dicta sufficient (amice Lector) iam ipse vides, non ibis inficias.

Si vero conqueraris huic Operi multa deesse, quæ addi possent, id meæ incuriæ non imputes, mireris potius tot in hoc Orbis angulo, in summa Librorum penuria inuenire potuisse: & adde, quod ad huius PROPVGNACVLI IESVITICI perfectionem, Tibi videbitur expedire, dummodo sub prælogem: nec iota quidem in toto hoc volumine inuenies, quod typis mandatum non sit: ut vel sic felicius currat in SOCIETATIS laudem tot ELOGIORVM profluum.

Sed aduertas velim, quod etsi aliqua ELOGIA videantur, aut duplicita, aut repetita, id tamen ita non est, semper enim aliquid speciale in singulis elucet, siue id sit diuerlus Auctor, siue verbum aliquod immutatum, ut quisque eligat quod sibi magis placuerit:

AD LECTOREM.

cuerit : non enim omnibus sensus' vnuſ ; vnum-  
ve palatum eſt. Nullum præterea temporum ordi-  
nem , delectumue Personarum in hoc Opere fe-  
quimur , ſed prout ſe ſe calamo offerunt , ſic da-  
mus : pene enim infinitus foret labor in tot ELOGIIS  
hinc indeque , & in diuersis temporibus , prout oc-  
casio dabat , conquisit is , ordinem hunc exoptare:  
cum præſertim ad Operis ſcopum , parum ; aut nihil  
intersit , ſiue hac , ſiue illa serie collocentur.

Aduerte insuper plura ex exaratis Encomijs licet  
latino idiomati ſint mandata , ab Hispano , Latio , a-  
lijsque fontibus manafe, quæ libuit asterisco (\*) no-  
tare , vt dignoſcas , quis metamorphoſim paſſus , quis  
proprio flumine fluat.

Forsitan miraberis tam varias in hoc opere En-  
comiaſtarum linguaſ , vbi impares immiſcentur:  
nec altiori eſt locus præminens , cum minus nobi-  
li ad idem maiestatis Solium pateat aditus : nec de-  
mum Stellæ omnes , nec Rosæ omnes eodem  
fulgore ſcintillant , nec purpura ſplendent. Sed ip-  
ſamet Cælorum , & Viridarij ſpecies me indemnam  
feruat , tibi occludit notam inurendi licentiam : li-  
cet enim impares ſint illorum faces , omnes tamen  
ſunt Aſtra , Gemmæque lucidae : nec vna à latere a-  
liam arroganter amouet , quia excelsior. Et licet  
non omnes in Topiario ſint Rosæ regio paludamen-  
to nitelentes , flores ſunt omnes : & Rosa non  
quia regia maiestate conſpicua arcet Violam à con-  
ſortio , & ſi pauperi ſagulo ornatam : ipſa enim  
varie-

varietas media summis coæquans ludit oculos, &  
delicias parit in Hortis, & voluptates in Cælo. Quid  
ergo mirum, quod in hac Cælesti, & viridantî machi-  
na interlucent sydera, & luxurient flores imparili-  
tate sua pari, & ideo specie lenocinanti. Nec desi-  
nam perstringere hanc tantam nubem testium inter-  
ferere, vt opposita caliganti calumniarum alteri nu-  
bi, eam deturbet, eliminet: ipsa que cincta syderibus,  
laurisque coronata triumphet: & nubes sit, & Cælum  
innumeris trophæis.

Tandem si opponas tardioris, & ex alieno viuentis  
ingenij notam in tanta ELOGIORVM congerie, fateor:  
sed ingeniosissimi Belgarum Lipsij vsus effato, Tibi  
potero, ac blateronibus eiusmodi respondere: *Lapi-  
des, & ligna ab alijs accipio; AEdificij tamen structio tota  
nostra est. Architectus Ego sum, sed & materias varie  
vndique conduxi: nec aranearum sanè textus ideo melior,  
quia ex se filia gignunt, nec noster vilior quia ex alienis li-  
bamus ut apes.* Vale.

*Lips. in  
not. ad 1.  
Polit. cap. I*

d

INDEX